I. LOCUS.

De immortalitate & Statu Animæ.

Quid ſit de Anima hominis poſt mortem?

QVòd anima tam impiorum, quàm piorum hominum, poſt mortem non extinguatur, ſed ſit ſpiritus immortalis, & poſtquam ex hoc mortali corpore diſceſſerit, verè ſuperſtes: id ſupra in primo hominis ſtatu, tum ex ipſa creatione, tum aliis rationibus luculenter demonſtratum eſt: quæ omnia hîc etiam, debitâ ratione conſideranda ſunt.

Sed quis ſtatus eſt animarum, poſtquam per mortem, corporis compage ſolutæ fuerint?

I. Piorum animæ ſunt in manu DEI, *glorioſam corporis reſurrectionem & plenam æternæ beatitudinis fruitionem, cum gaudio & deſiderio exſpectantes.*

Eccl. 12. 7. Revertatur pulvis in terram unde erat: & Spiritus redeat ad DEVM, qui dedit illũ.

Sap. 3. 1. Iuſtorum animæ, in manu DEI ſunt, & non tanget illos tormentum.

Luc. 23. 43. Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.

Luc. 16. v. 22. 25. Anima Lazari portatur in Sinum Abrahæ, & ſolatio ibi fruitur.

II. Impiorum autem animæ ſunt in loco tor*mentorum, cum terrore & cruciatu ignominioſam corporis reſurrectionem, & perfectum æternæ damnationis ſenſum exſpectantes.*

Luc.